1487. 27. Martij

Exemplum partis capte in Ex.mo Consilio Decem MCCCCLXXXVII. die XXVII. m(ensi)s Martij

Cum per ea que dicta et lecta sunt huic Consilio sup(er) pheudo, sive decima Scledi: quam dominatio n(ost)ra cu(m) Consilio Rogatorum alias, hoc est i(n) 1406 die octavo et quartodecimo m(ensi)s maij concessit q(uondam) fidelissimis n(ost)ris Bonaventure Almerici civi Vincentie: et Georgino de Angusolis, ob fidelissima servitia d(omi)nio n(ost)ro impensa, de quibus expressa fit mentio i(n) parte concessionis predicte, certissimu(m) et indubitatissimu(m) sit ipsam concessione(m) se se extendere no(n) solum ad ipsos Bonaventuram et Georgiu(m), et filios: sed etiam ad eorum heredes legitimos. id quod etiam fuit pe(nitus) declaratum in 1435. contra id quod denuntiatu(m) fuit viris nobilibus s(er) Philippo Boldu, s(er) Hieronymo Michael et s(er) Andree Trivisano doctori, uti auditoribus et Sindicis n(ost)ris: qui dum nuperrime reperirent, et citari fecissent predictos fideles n(ost)ros Matheum Almerici nepote(m) ex filio p(re)d(ic)ti q(uondam) Bonaventure, et Antoniu(m) Angusolo nepote(m) ex filio p(re)d(ic)ti q(uondam) Georgini cives Vincentie, p(rese)ntes possessores, ut illi qui p(re)tendebant ipsam concessione(m) extinctam esse p(er) morte(m) filiorum dictorum Bonaventure, et Georgini, et p(er) ipsos fuisse ad capita huius Consilij reclamatu(m) de huiusmodi molestatione, et propterea auditi cum Sindicis fuissent: Demum duo ex ipsis viris intelligentes se se removerunt ab intromissione eorum: Tertius vero collega, qui est s(er) Philippus Boldu, videatur reddere se se difficilem ad hoc, et conveniat solite iustitie, et clementie d(omi)nij n(ost)ri, et huius Consilij servare concessiones factas, et que habito maxime respectu ad meritum p(ro)ptorum fidelium n(ost)rorum, merentur potius ampliari q(uam) restringi contra intentione(m) p(ri)marum concessionum.

Vadit pars, q(uod) aut(oritat)e huius Consilij intromissiones dictorum auditorum circa hoc, utpote facte contra concessiones et deliberationes predictas annullentur et penitus aboleantur, cum ipso nec vigore ipsarum innovasset contra p(rese)ntes possessores dicte decime, sive pheudi: Super qua et quo dictis auditoribus, et Sindicis et successoribus et o(mn)ibus alijs perpetuum silentiu(m) imponatur: Et hoc donec extabunt heredes p(re)dictorum, secundum consuetudinem pheudorum, et decimarum.

Ego Ludovicus de Manetis Secret(arius) Ill(ustrissi)mi Cons(ilij) Decem ss

1487. 27. marzo.

1487